



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

49. An Sacerdos pauper, qui pro die ocurrenti non habet eleemosynam pro
Missa celebranda, possit Missam celebrare, & illam applicare pro primo
offerente stipendium, quem Deus scit futurum primum? Ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

praxi. 5. se resoluo, que le era lecito al Sacerdote recibir nuevas cargas de Missas, si dentro de vn mes podia cumplir con las ya recibidas de otras, si ya las Missas no piedesen mas brevedad. Otros Iuriscosultos lo estienen a dos meses, y se colige *ex Can. presentium, 7. q. 1.* donde no se llama ausente el, que por enfermedad faldo dos meses a la Iglesia. Lo mismo consta del Concilio Tridentino *sess. 23. de reform. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. de reform.* donde se llama *modicum tempus*, quando falta dos meses vn Canonico al Coro, luego segun esta cuenta parece, que podra tomar vn Sacerdote hasta 60. Missas de vna vez, y las Iglesias, proporcione seruata, segun tuuiere Capellanias, saluo quando son por algun caso occurrente. Contestan con esta doctrina Ledesma, Villalobos, Diana, Lugo, y a este modo, proporcione seruata, podran los conuentos encargarle de mas, o menos cantidad, segun el numero de los Sacerdotes que tuuiere. En la Religion de Santo Domingo ay ley, que no reciban los Religiosos de vna vez mas que 50. Missas. En nuestra Religion ay precepto riguroso, que no se reciban Missas sin registrarlas al Prelado, dixiendole las, que tiene por dezir, para que no cargue mas de las que puede cumplir en dos meses a los mas largo.] Hæc ille.

RESOL. XLIX.

An Sacerdos pauper, qui pro die occurrenti non habet elemosinam pro Missa celebranda, possit Missam celebrare, & illam applicare pro primo offerenti stipendium, quem Deus fecit futurum primum? Ex part. 2. tr. 14. Ref. 15.

§. 1. **A**ffirmatiue aliqui viri docti respondent. Ita Henriquez *lib. 9. cap. 21. n. 2.* Vega *in sum. tom. 2. cap. 41. cas. 5.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 5. §. 9. n. 5.* Fraxinell. *de oblig. sacerdot. sess. 5. praxi. not. 5. §. 5. n. 1.* Petrus de Aragona *in 2. 2. q. 85. art. 3.* Petrus à Nauare. *de restit. lib. 2. cap. 2. n. 373.* Rodrig. *in sum. tom. 1. cap. 242. n. 9.* Henric. *lib. 8. c. 21. n. 2.* & alij quamplures recentiores, quorum sententiam probabilem vocauit noster Molfes, *in sum. tom. 1. tr. 3. c. 16. n. 28.* & Reginald. *in praxi, tom. 2. lib. 23. c. 17. n. 23.* Ratio est, quia licet opus illud sit præteritum respectu nostri, in Dei tamen acceptatione, & æternitate est præsens, vnde respectu Dei acceptantis est ita recens, & præsens, ac si eodem momento offerretur.

2. Sed his non obstantibus, contrariam sententiam docuerunt Riccius *in praxi, p. 3. ref. 361. n. 3.* Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 24. n. 12.* Homob. *de exam. in Eccl. p. 1. tr. 4. c. 14. quæst. 130.* Ioan. de la Cruz *in direct. conf. p. 3. de sacrif. Missæ, q. 1. dub. 3. concl. 1.* Fagundez *de præcept. Eccl. p. 1. lib. 9. cap. 9. n. 10.* Corduba *lib. 1. q. 4. dub. 6.* Coninch *de sacram. q. 83. art. 5. dub. 9. n. 168.* Filliuc. *tom. 1. tr. 5. c. 3. n. 79.* Molfesius, Reginaldus, Suar. & nouissimè mordicus docet hanc sententiam doctissimus Petr. Cenedo *in 99. Canonic. q. 28. num. 6.*

3. Et licet Illustrissimi Cardinales in decreto Urbani VIII. nihil de hac quæstione attingant, tamen antea ex mandato Clementis VIII. sub die 15. Nouembris 1605. sententiam superius positam, tanquam pluribus hominibus periculofam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem improbarunt, & condemnarunt. Declarationem Cardinalium adducit de verbo ad verbum Cenedo *vbi supra*, & Riccius.

RESOL. L.

An detur aliqui casus, in quo Sacerdoti liceat Missas celebrare anticipatè? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 16.

§. 1. **R**espondeo dari, & erit, si ex obligatione cuius Capellæ teneatur Missas certas lingulis hebdomadis celebrare, vel in posterum pro certa intentione, quia tunc si aliter non exprimitur in fundatione Capellanæ, potest Sacerdos in antecedente hebdomada tales Missas celebrare. Ita Riccius *in praxi p. 3. ref. 338.* Petrus de Ledesma *in sum. p. 1. de Sac. Euch. c. 18. concl. 17.* Rodrig. *in sum. tom. 1. c. 253. n. 8.* Reginald. *in praxi, tom. 3. lib. 23. c. n. 237.* & alij licet Fernandez respondeat cum distinctione *in exam. mor. Theol. p. 3. c. 5. §. 9. n. 5.*

RESOL. LI.

An Sacerdos, qui præterita die applicauit Missam pro Petro, & nihil postea celebrando Missam de applicatione Sacrificij cogitauit; quod est querere, an Sacerdos in Missa actualiter, vel virtualiter debeat applicare Sacrificium pro eo, qui dedit stipendium? Ex part. 2. tract. 14. Refol. 47.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Vasq. *in 3. p. 23. disp. 5. sup. bo. 138. c. 6. n. 76.* putat enim, vt sacrificium applicetur, & vt tale ei profit, debere à voluntate offerentis proximè, vel remotè procedere. Vnde si quis offerat Missam, & hæc voluntas postea in celebrationem ipsius Missæ nullo modo influat, vt neque proximè, neque remotè eius causa sit, voluntas illa proderit per modum impetrationis: at verò sacrificium ipsum non item. Putat igitur Vasquez applicationem Missæ debere fieri actualiter, vel virtualiter tempore eiusdem sacrificij: philosophatur enim eodè pacto de applicatione, ac de intentione conficiendi sacramentum. In hanc sententiam incidunt Berardicus *in sum. Corona, p. 4. cap. 5. n. 9.* Beia *p. 1. q. 23.* & Fraxinell. *de oblig. sacerdot. sess. 4. concl. 4. §. 7. n. 1.* qui putant, Sacerdotem in Memento, debere applicare valorem Missæ eis, pro quibus tenetur celebrare.

2. Sed si hæc sententia amplectenda esset, multis scrupulis agitarentur sacerdotes. Ideo contrariam opinionem probabilem esse puto, quam tenent Suar. *in 3. p. 10. 3. disp. 13. sess. 3. concl. 2.* Bonac. *de sac. disp. 11. q. 3. punct. 2. §. 3. n. 11.* & Molfes *in sum. tom. 1. tr. 3. c. 17. n. 13.* Distingendum est igitur in hoc casu. Vel præterita die Sacerdos absolute applicat pro Petro factum sacrificij die crastina offerendi, & tunc valet talis applicatio, licet postea in Missa nihil de tali applicatione sacerdos cogitet. Vel non applicat determinatè, sed habet voluntatem crastina die applicandi, & in hoc casu talis applicatio minime valet.

3. Vnde contra Vasq. est dispar ratio inter applicationem, & intentionem conficiendi sacrificium. Quia voluntas, qua offertur sacrificium, non est necesse, vt sit operatiua sacrificij, sed solè applicatiua fructus eius: & idè fieri potest per simplicè voluntatem, que antecedit ipsum sacrificium, & postea nihil circa ipsum operetur. At verò intentio conficiendi Sacramentum, debet esse intentio operatiua conficiendi ipsum sacrificium, & idè quando nihil actualiter, seu virtualiter operatur, non est ad sacramentum sufficiens: neque est propriè voluntas efficax eius. Ex his apparet quod ad applicandum sacrificium non requiritur intentio, qua virtualiter duret tempore sacrificij, sicut requiritur ad conficiendum sacramentum. Vnde sufficit, quod Sacerdos applicet absolute sacrificium tali die offerendum, modo talis intentio non fuerit postea reuocata.

RESOL.